

1524

ginta millia in leviores equites impenderet : ad hæc quinque illi aureorum millia ære publico penderentur ; eaque omnia decora , ac privilegia , quæ terrestrium copiarum imperatoribus deferri solent , attributa sunt .

Nam vetere Reipublicæ instituto inolevit ; ut , quemadmodum navalium armorum suprema auctoritas penes patricos semper esset , qui , toga deposita , atque arma induti proprio milite , atque indigenarum maritima peritia ingentia facinora edidere , imperiique Veneti fines in Orientis longinqua loca propagavere ; ita quæ ad terrestres pugnas tractandas spectant , exterorum ducum , quorum spectata in Rempublicam fides atque eximia virtus præclaris bellicis actionibus emereret , imperio , fidei , atque curæ committerentur . Cujus consilii rationes eas plerique retulerunt , ut Veneti , qui pacem inter cives , concordiamque semper summo studio aluissent , quieti publicæ perperam consultum existimaverint , civibus tantum auctoritatis impertiri ; exercitus subjicere ; summæ omnium rerum præficere ; ne dominandi assuetudine transversi clientelis , atque amicitiiis nixi , popularique aura suffulti , opibus , atque imperio in publicam aliquando perniciem abuterentur . Usu namque compertum fuisse , ab iis respublicas sæpe labefactatas , ac pessumdatas , qui magnam auctoritatem nacti , civiumque privatas fortunas supergressi , sibi ad arripiendam dominationem gradus struxere . Romanorum exempla documento esse , qui cum exercituum imperatoribus Rempublicam permisissent , ii totis viribus ad dominandi libidinem , non ad imperii incrementa usi , patriam sanguine civili foedatam , ac domesticarum tempestatum fluctibus obrutam , suis parere consiliis , ac nutibus coegere : quocirca nihil mirandum , si Veneti mortaliū omnium publicæ libertatis studiosissimi , moderata imperia civibus tribuere , maritimaque gloria contenti terrestres copias exteris Ducibus subjecere . Verum non defuisse , qui verius fortasse universam hujusce instituti rationem non alio , quam ad tempestatum illarum statum referendam duxere , quo in Italia complures Principes , Respublicæ , ac Reguli imperabant ; quique vel amplitudine familiæ illustres , vel militari disciplina clari erant , affinitatibus , clientelis atque amicitiiis fulti quoscunque manu promptos , atque ingenio